

vel adesse posse actus omnes praeteritos infinite multos; 3<sup>o</sup> certe, Deus conferendo gratiam habitualement et actualem (illustrationis intellectus et inspirationis voluntatis) non infundit actus nobis inconscios sive non perceptos.<sup>1)</sup>

### B. De potentiis.

1. *Notio*: *Potentia* sensu lato significat quodcumque principium actionis vel ponendae vel recipiendae, ac proinde comprehendit potentiam et obiectivam et subiectivam. Hoc autem loco sensu strictiore sumitur et designat solam potentiam subiectivam. Definitur igitur *principium quo proximum accidentale ad operationem per se primo a natura ordinatum*. Vocatur: a) *principium quo*, ut distinguatur a principio quod, i. e. ab ipso supposito, cuius sunt omnes operationes tanquam subiecti; b) *principium quo proximum*, ut distinguatur a natura, quae est principium quo ultimum operandi; c) *accidentale ad operandum*, ut distinguatur ab accidentibus, quae substantiam quoad esse perficiunt; d) *per se primo a natura ordinatum*, ut distinguatur ab habitibus, qui vel sunt acquisiti, vel a Deo infusi praeter naturae exigentiam. (Comparantur igitur potentiae, praesertim animae, membris et organis, quibus corpus utitur ad operationes externas.<sup>2)</sup> Anima enim a scholasticis consideratur tanquam *totum potentiale*, cuius „quasi partes“ sunt potentiae; dico quasi partes, quia anima ut substantia simplex tota est in suis potentiis quoad suam substantiam, et per eas ipsa operatur; non tamen est in singulis *totaliter*, i. e. secundum totam suam *virtutem*.<sup>3)</sup>

2. *Divisio*: A *Principium divisionis*: Potentiae distinguuntur *proxime* per actus, *ultime* per obiecta formalia. Actus enim ut effectus requirunt causam sibi proportionatam; unde quotiescunque actus in se sunt prorsus distincti quoad *naturam* et *modum* operandi, ita ut ex eodem subiecto saltem proximo se excludant, principia quoque sive potentiae distinctae sint oportet. Actus autem specificantur per obiecta sua formalia; nam obiectum *formale* quoad formalem rationem constituitur per actum; ubi igitur obiectum formale est diversum, etiam actus et consequenter potentiae specificae differunt.

Potentiae opponitur *impotentia*, non quasi defectus sit sive negatio ipsius potentiae, ac proinde aliquid negativi, sed est potentia debilis et infirma, ita ut non sit apta ad actiones naturae convenientes perfecte ponendas, e. g. infirmitas mentis vel corporis.)

B. Potentiae igitur dividuntur: a) in *activas* et *passivas*; *activae* sunt, quae aliquid in alio subiecto efficiunt, e. g. ignis comburens

<sup>1)</sup> Cfr. Pastor bonus, 1898, p. 578 sq. <sup>2)</sup> Cfr. Kleutgen, Philosophie d. Vorzeit, II, n. 638. <sup>3)</sup> Cfr. S. Thom. Quaest. disp. de spirit. creat. a. 11 ad 2.

lignum; *passivae*, quae actionem alterius potentiae activae, i. e. passionem in se recipiunt, e. g. lignum aptum ad comburendum, non vero lapis. (Patet, omni potentiae activae debere respondere potentiam passivam; utraque potentia potest habitibus informari et perfici, saltem in subiecto libero, e. g. intellectus per scientias et voluntas per virtutes. Quo maior est enim activitas intellectus et voluntatis, eo maior quoque erit earum dispositio et aptitudo ad novas reiciendas perfectiones.

b) Potentiae *activae* iterum sunt vel *vitales* (in rebus organicis) vel *non vitales*. Vitales sunt: *vis vegetativa* (nutritiva, augmentativa, generativa), *vis sensitiva* (sensus externi et interni, appetitus, vis motrix), *vis rationalis* (intellectus et voluntas). Vires *non vitales* in rebus anorganicis sunt: *chimicae* (affinitas) et *physicae* (cohaesio, adhaesio, gravitas, electricitas, pondus specificum, lux, calor specificus. — Potentiae passivae, ut dixi, ubique respondent his potentiis activis vel in aliis corporibus, vel in illo ipso, in quo est potentia activa, praesertim si agitur de principio actionum immanentium (vitalium). Potentiae passivae quoad *esse* praecipuae sunt illae, quae respondent figuris et coloribus diverso modo recipiendis. Addendum est, nullam potentiam creatam esse mere activam, sed aliquid semper habere passivatis, cum indigeat determinatione, ut de potentia in actum prodeat.)

*Thesis XXXI*: *Existunt potentiae inter se et ab essentia rei distinctae.*

(*St. qu.* 1<sup>o</sup> Nos nunc non decernimus, quot potentiae existant, quaeque inter se realiter differant; sed in genere affirmamus, certe esse eiusmodi potentias realiter tum inter se, tum a substantia sua distinctas. Potest facile concedi, veteres philosophos nimias statuere potentias, ita ut merito ad pauciores revocari possint, e. g. intellectus agens et possibilis, vis magnetica et electrica etc.; recte autem veteres realem in genere distinctionem potentiarum docuerunt.

2<sup>o</sup> Iam ex tempore Platonis et Aristotelis apud omnes fere philosophos constat, esse potentias viresque realiter distinctas a rerum substantia. *Atomistae* autem veteres<sup>1)</sup> vires nullas tanquam potentias admittebant, sed non nisi atomos corporeas extrinsecus motas, quarum concursu fortuito omnia fierent. *Nominalistae* potentias et vires quidem admittebant, non vero distinctas a rei substantia; *Scotistae* distinctionem formalem ex natura rei tum inter potentias ipsas, tum inter potentias et naturam; S. Bonaventura distinctionem realem potentiarum inter se, logicam autem inter po-

<sup>1)</sup> Aristoteles, Metaph. VIII, 3, idem tradit de Megarensibus.

b) Tunc omnis res deberet semper operari quicquid potest, anima semper deberet cogitare, velle, et quidem omnia simul, neque posset esse ulla mutatio; nam essentia rerum semper actu adest, et qua talis est immutabilis. *Atqui* constat, omnes res animamque nostram prorsus indifferentes esse ad plures diversissimasque actiones, quin essentia eius ullo modo mutetur. *Ergo* res omnes anima que nostra non per essentiam, sed per potentias ab ipsis realiter distinctas operantur.<sup>1)</sup>

*Scholion.* Licet Benecke († 1854) potentias animae cum Herbart reiciat, ex alia parte infinitas introducit; putat enim, omni determinationi (Reiz) ex parte obiecti respondere in nobis potentiam aliquam primitivam (Urvermögen), ex quibus potentiis ad modum organismi auctis et inter se coniunctis animam spirituales fieri; unde animam humanam simplicem esse negat, neque essentialiter a brutorum differre docet.<sup>2)</sup>

*Obi.* 1. Potentia quid sit, concipi nequit; dist.: cognitione sensitiva — conc.; intellectuali, subd.: per modum intuitionis — conc.; per modum simplicis intelligentiae — nego.

2. *Atqui* nullo modo concipi potest; nam potentia esset aut substantia aut actus. *Atqui* neutrum est. *Ergo* . . . Nego disiunctionem, quae supponit quod probandum est scilicet non esse accidens nisi actus.

3. *Atqui* potentiae superfluae sunt, quia substantia ipsa operatur, dist.: ut principium quod — conc.; ut principium quo, subd.: ultimum — conc. proximum — nego.

4. *Atqui* quod substantia per potentias potest, potest a fortiori per se facere, dist.: si per essentiam suam esset determinata ad operandum sicut Deus — conc.; cum nulla creatura per essentiam operetur — nego.

5. *Atqui* si potentiae admittendae essent, deberent esse infinite multae, quia obiecta infinite multa existunt; dist.: obiecta materialia — trans., obiecta formalia — nego. (Cfr. Paulsen, Einleitung etc. 1901, p. 382.)

6. *Atqui* si essent potentiae plures realiter distinctae, dicendum esset, a) non animam, sed potentias operari; dist.: animam non per suam essentiam operari — conc.; non per suas potentias tanquam instrumenta seu organa (partes virtuales) operari — nego.

b) Non potest explicari, quomodo potentiae excitentur, nisi infinitae statuerentur, dist.: nisi obiectum adesset — conc.; unde nego suppositum; alias — nego.

c) Neque intelligeretur, quomodo una potentia excitet aliam ab ipsa realiter distinctam, quum sint principia immanentia; dist.: nisi essent in eadem anima, per quam coniunguntur, sicut singula membra in corpore — trans.: cum in eadem anima radiceantur — nego.<sup>3)</sup>

*Retorqueo:* Tunc et actus animae se invicem excitare non possent, si quidem inter se realiter differunt.)

<sup>1)</sup> Cfr. S. Thom., S. Th. I, qu. 77, a. 1; porro de spirit. creat. art. 11, affirmans, „impossibile esse“, essentiam animae esse eius potentiam. <sup>2)</sup> Cfr. Stöckl, Gesch. der Philosophie 1888, II, 322 sq. <sup>3)</sup> Vide illas obiectiones apud Müller, l. c. p. 19 et 200; cfr. „Pastor bonus“, p. 1898, p. 579; Gutberlet, Psychol. p. 6 sq.

## C. Passio.

1. *Notio:* Passio sensu lato significat quamcunque rei alicuius affectionem seu proprietatem sive physicam sive metaphysicam (Eigenschaft), e. g. unum, bonum, visibilitas etc.; sensu autem strictiore significat receptionem formae alicuius accidentalis realis per quamcunque actionem tum immanentem tum transeuntem, et hoc sensu passio proprie accipitur; vocatur passio, quia opponitur actioni, cuius est effectus sive terminus. (Sic omnis determinatio intellectus vel voluntatis vel sensus per obiectum aliquod propositum vocatur passio, licet ipsum intelligere, velle, sentire sit aliqua perfectio.)

Sensu adhuc strictiore passio vocatur motus appetitus sensitivi cum quadam corporis immutatione,<sup>1)</sup> qui motus potest naturae esse conveniens vel non, spontaneus vel liber, e. g. fames, dolor, ira, delectatio, hilaritas, risus etc. Sensu autem strictissimo passio vocatur receptio alicuius formae nocivae, e. g. dolor; unde affectiones animae inordinatae vocantur passionem. — Si illa qualitas est transiens, vocatur proprie passio, e. g. pallor vultus ex timore ortus; si vero est permanens, patibilis qualitas, sicut pallor vultus ex nativitate.

(Notandum autem est, passionem sub aliquo respectu, saltem secundario, etiam ad potentiam sive habitum revocari posse, in quantum non solum subiectum afficit, sed etiam aliquid in ipso vel extra ipsum efficit, e. g. calor, qui fornacem afficit et simul in alia obiecta inde redundat.)

2. *Divisio:* Passio a) ratione subiecti potest dividi in spirituales, quae si intellectum afficit, est intellectualis, si voluntatem, est moralis; et materialem, quae iterum est organica, si corpora organica (vegetativa, sensitiva) afficit, anorganica sive physica, si res anorganicas qua tales informat, e. g. calor, sensibilia propria: color, odor etc.

b) Ratione effectus passionem sunt vel bonae, si subiectum perficiunt; vel malae, si detrimentum afferunt, e. g. dolores.)

3. *Existere passionem,* evidens est; nam a) certe res omnes habent quandam activitatem: immanentem vel transeuntem, non viuentes saltem transeuntem. *Atqui* omnis actio supponit passionem, i. e. effectum in subiecto, in quo recipitur. *Ergo* existunt qualitates passibiles.

(b) *Existunt etiam qualitates patibiles:* Nam in omnibus rebus inveniuntur habitus quidam vel entitativi vel etiam operativi. *Atqui*

<sup>1)</sup> Cfr. s. Thomam I, II, qu. 22, tota; de verit. qu. 26, a. 1—5.

habitus supponit subiectum aptum, in quo esse possit *Ergo* existunt etiam qualitates patibiles.)

#### D. De forma et figura.

1. *Notio et divisio*: *Experientiâ* constat, omnes res extensas, nosque ipsos ratione corporis nostri quibusdam limitibus circumscribi: haec igitur *quantitatis externa determinatio vocatur figura*. (Si invenitur in rebus physicis, vocatur *forma*, si in mathematicis (linea, superficies, cubus etc.), vocatur proprie *figura*. Forma et figura nil addunt realitatis subiecto, sed negationem ulterioris extensionis. Sunt tamen *accidentia* et quidem modalia, quia corpus, i. e. eius quantitas ex se est indifferens ad quamlibet figuram; oportet igitur, ut eius termini vel actione positiva externa vel dispositione interna, i. e. ex natura corporis determinentur.)

2. *Natura figurae*: Quamvis figura sit terminus quantitatis, pertinet tamen ad accidens quale, quia oritur ex actione vel externa (e. g. statua) vel interna (e. g. corpora organica). *Atqui* actio supponit et efficit passionem vel qualitatem patibilem. *Ergo* figura pertinet ad qualitates.

(Quod magis patet ex corporum forma naturali. Nam non solum corpora organica habent formam specificam, qua ab omnibus aliis distinguuntur, sed etiam corpora anorganica per se quidem, licet per accidens saepe hanc formam specificam non praeseferant. Quotiescunque enim corpora ex statu fluido ad solidum transeuntia sibi relinquuntur, semper induunt formam quam vocant crystallinam, ita ut corpora iam ex illa forma sibi propria cognosci et in certas species dividi possint. *Atqui* formae illae constantes requirunt causam constantem, quae non est nisi rerum natura, i. e. principium rebus internum. *Ergo* formae rerum pertinent ad qualitates. Unde S. Thomas<sup>1)</sup>: „Inter omnes qualitates figurae maxime consequuntur et demonstrant species rerum.“)

#### II. De relatione.

1. *Notio*: Res omnes possunt duplici modo considerari: primo *absolute*, ut sunt in se aliqua realitas, qua distinguuntur ab aliis rebus, e. g. Petrus, ut est homo distinctus ab aliis individuis humanis; et *relative*, in quantum referuntur ad alias res distinctas, e. g. Petrus, ut est pater et refertur ad filium. Si res hoc modo relative considerantur, formatur conceptus relationis. *Relatio* igitur est „*respectus unius ad aliud*“ (πρός τι).<sup>2)</sup> Tria igitur requiruntur ad relationem: a) *subiectum* (relatum), quod refertur; b) *terminus* (correlatum), ad

<sup>1)</sup> S. Thom. 7 phys. lect. 5. <sup>2)</sup> Aristot. Categ. c. 7.

quem refertur; c) *fundamentum*, quod est causa relationis in subiecto. Sic in relatione patris ad filium: pater est subiectum, filius est terminus, paternitas est fundamentum. Patet igitur, in omni relatione duo haberi vel realiter vel logice saltem distincta, inter quae sit relatio. Fundamentum autem in relatione habet partem principalem, ita ut sit eius causa constitutiva et specifica.

(2. *Fundamentum* autem relationis potest distingui *remotum* et *proximum*. *Remotum* est ratio propria relationis, et haec indicantur fundamenta: essentia, quantitas, qualitas (late sumpta etiam pro categoria ubi, quando, habitus) et potentia (activa et passiva). *Fundamentum proximum* est quodammodo actualis applicatio fundamenti remoti, eiusque conditio sine qua non; haec autem numerantur: identitas et diversitas specifica respondens essentiae; aequalitas vel inaequalitas (proportio mathematica) respondens quantitati; similitudo et dissimilitudo respondens qualitati; actio et passio respondens potentiae. Sic fundamentum remotum in relatione patris ad filium est facultas generandi, proximum est ipsa generatio, relatio autem vocatur paternitas.

3. *Divisio*: Relatio dividitur ratione perfectionis:

#### I.

In *realem* et *logicam*. *Realis* est, quae in rebus existit independenter ab operatione mentis nostrae; *logica*, quae fit per operationem mentis.<sup>1)</sup>

#### A. Relatio realis.

*Realis* ut sit relatio, requiritur: a) ut termini, i. e. relatum et correlatum, sint reales et existentes, e. g. pater et filius, duo homines similes; b) ut fundamentum sit reale et existens; c) ut sit realiter distinctum a termino; secus enim subiectum et terminus non realiter differrent, quum fundamentum sit in subiecto relationis.

*Realis* autem relatio iterum distinguitur *transcendentalis* et *praedicamentalis*. *Transcendentalis* est illa, quae rei naturae est essentialis; proinde etiam necessaria seu substantialis vel „secundum dici“ vocatur, e. g. relatio creaturae ad Deum, ideae ad obiectum. *Praedicamentalis* est, quae naturae rei tanquam accidens superadditur, e. g. similitudo, ita ut possit abesse et adesse, unde vocatur etiam contingens, vel „secundum esse“. Relatio igitur praedicamentalis supponit accidens aliquod alterius categoriae sive absolutum, sive modale, cui superaddit respectum ad aliud, unde non realiter, sed metaphysice, i. e. virtualiter distinguitur a realitate accidentis, neque

<sup>1)</sup> Cfr. S. Thom. S. Theol. I, qu. 13 a. 7; qu. 28, tota.

consistit nisi in solo respectu ad aliquid; *haec relatio praedicamentalis constituit proprie categoriam relationis*. Differt relatio praedicamentalis a transcendentali, quia haec primario est res in se absoluta sive substantia sive accidens, secundo autem rem aliam respicit; illa consistit formaliter in respectu rei alicuius ad aliam, neque habet propriam realitatem; illa semper adest, haec potest adesse et abesse; illa potest esse sine termino existente, haec semper requirit terminum existentem.<sup>1)</sup>

### B. Relatio logica.

Relatio logica est illa, quae fit per operationem mentis, ita ut mens vel terminos ponat, vel fundamentum, vel utrumque. Unde dividitur: a) in relationes *sine fundamento* et *cum fundamento* in re. Illae sunt, quarum neque termini, neque fundamentum existit positive, ut sunt relatio inter negationes et privationes, e. g. inter duas tenebras; distantia duorum punctorum in spatio imaginario; concipiuntur tamen per relationem ad res positivas. Relatio *cum fundamento* in re adest, quando unus vel alter terminus a mente ponitur, e. g. relatio inter hominem possibilem et existentem, vel vice versa, ut in relatione identitatis; vel si fundamentum a mente ponitur, e. g. esse laudatum, honoratum, cognitum, quod nullam realitatem in homine laudato etc. ponit. Hoc modo est relatio inter Deum et creaturas, quia creatio nil novi ponit in Deo, attamen in creaturis; vel si fundamentum cum termino, i. e. ab eo non realiter distinctum a mente ponitur, e. g. identitas praedicati et subiecti.

b) Relationes logicae seu rationis etiam dividuntur secundum rationem *theoreticam* et *practicam*. Relationes *rationis theoreticae*, quae fiunt per solam mentem speculantem, sunt *logicales*, quarum fundamentum est *unitas conceptuum* specierum et generum abstractione mentis effecta; porro *identitas* subiecti et praedicati in iudicio; *connexio* conclusionis cum antecedente in ratiocinio.

Relationes *rationis practicae* formantur per intellectum et voluntatem, et possunt dividi in *morales*, e. g. inter maritum et uxorem, parentes et filios, magistrum et discipulos, principes et subditos, dominos et servos<sup>2)</sup> etc., et *artificiales*, e. g. inter rem et eius imaginem, verbum et ideam, signum et rem signatam.

## II.

Relatio porro est aut *mutua* aut *mixta*. *Mutua* est, si extrema (relatum et correlatum) eodem modo sive realiter sive logice ad in-

<sup>1)</sup> Cfr. Pesch, Inst. log. II, 2, p. 325; et S. Thom. opusc. 48, tr. 5, c. 1.

<sup>2)</sup> Hae tamen relationes a nonnullis reales habentur.

vicem referuntur; et haec relatio mutua est vel *eiusdem denominationis*, si extrema perfecte inter se commutari possunt, quin relatio mutetur, e. g. relatio amicitiae, aequalitatis, similitudinis; vel est *diversae denominationis*, si extrema commutari non possunt, e. g. pater et filius; causa et effectus.

*Mixta* est relatio, si ex una parte est realis, ex altera logica, e. g. scientia eiusque obiectum; Deus et creatura.

4. *Proprietates: Relationes* a) *non habent contrarium*, nisi in fundamento, si est qualitas; nam contraria in sola qualitate inveniuntur.

b) *Non suscipiunt magis et minus*, nisi fundamentum mutatur; nam ratio formalis est in „respectu ad“, qui aut est aut non est ac proinde in indivisibili positum. Fundamentum autem est ratio positiva relationis, qua mutata etiam relatio mutetur oportet.

c) *Relativa reduplicative sumpta simul sunt natura et cognitio*, quia relatum non potest esse sine correlato, e. g. pater sine filio.

d) *Non relatio, sed relativum fertur ad aliud*; secus in infinitum esset procedendum.

e) *Relatio non per se producitur neque corrumpitur, sed per accidens*, i. e. per positionem vel remotionem fundamenti sive termini: non enim habet propriam realitatem.

*Thesis XXXII: Terminus ad relationem praedicamentalem necessario requiritur, non autem eam intrinsecus constituit.*

*St. qu. 1<sup>o</sup>* Agitur de relatione non transcendentali, sed praedicamentali, quae naturae rei superadditur et fundatur quantitate vel qualitate vel actione et passione; requirit terminos existentes et distinctos, fundamentumque reale a termino realiter distinctum.

*2<sup>o</sup>* Plures scholastici, ut Nominalistae (Occam), porro Arriaga, Hurtado, Oviedo, Palmieri alique putant relationem praedicamentalem *intrinsecus* et *formaliter* per terminum constitui, sicut homo corpore et anima constat et per consequens relationem inadaequate realiter distingui a fundamento. — Alii autem cum Suarezio putant, eam realiter constitui intrinsecus et in recto per fundamentum, requirere autem essentialiter, sed extrinsecus, terminum eumque connotare, sicut actus videndi obiectum coloratum.

### I. Terminus ad relationem praedicamentalem necessario requiritur.

*Prob. Ex conceptu relationis:* Relativum illud vocatur, quod non in se absolvitur neque cognoscitur, sicut absolutum, sed ex natura sua est ad aliud, differt igitur ab absoluto formaliter per respectum ad aliud, et differt relatio praedicamentalis a transcendentali etiam per hoc, quod haec non indiget termino reali existente distincto a

fundamento. Ergo relatio praedicamentalis necessario requirit terminum eumque existentem.)

II. *Terminus non constituit relationem praedicamentalem formaliter et intrinsecus*

*Prob. 1. Ex natura relationis:* a) Relatio formaliter ibi est, ubi est totum esse respectivum. *Atqui* totum esse relationis praedicamentalis est in fundamento, quod est in subiecto; sic tota paternitas est in Petro, qui est pater Pauli, non in utroque; neque obiectum materiale constituit formaliter actum visionis, sed species expressa; paries A est similis B propter suam intrinsecam albedinem, licet albedo parietis B sit *conditio* necessaria comparationis et relationis; instrumenta habent relationem ad opus efficiendum propter suam constructionem, etiamsi non actu applicentur. Ergo terminus non formaliter constituit relationem.

(b) Formalis ratio relationis est „in transitu ad aliud“. <sup>1)</sup> *Atqui* terminus non est in transitu, sed est eius finis. Ergo non formaliter ingreditur in relationem.

2. *Ex absurdo:* Si terminus pertineret ad formalem rationem relationis: a) mutato termino etiam relatio semper et formaliter mutaretur; b) non possent esse relationes transcendentales sine termino. *Atqui* mutato termino non semper relatio mutatur, e. g. distantia, si uni corpori aliud substituitur; deinde sunt relationes transcendentales sine termino existente, e. g. potentia non in actum transiens; in eis tamen essentia relationis inest. Ergo terminus non pertinet ad rationem formalem relationis praedicamentalis.

*Obi. 1.* Remoto termino etiam relatio cessat, dist.: formaliter — nego; consequenter — conc.

2. *Atqui* formaliter cessat, quia terminus pertinet ad essentiam relationis, dist.: intrinsecus — nego; extrinsecus — conc.

3. *Atqui* intrinsecus pertinet ad essentiam relationis; nam mutato termino relatio saepe specificè mutatur, e. g. idem album comparatum termino albo et nigro; dist.: propter *respectum* fundamenti ad terminum mutatam — conc., propter solum terminum mutatam, subd.: formaliter — nego; consequenter — conc.)

*Thesis XXXIII: Relatio praedicamentalis a fundamento suo non realiter, sed ratione distinguitur.*

*St. qu. 1<sup>o</sup>* Quaeritur, in quo consistat realitas relationis, utrum sit idem realiter cum fundamento, an superaddat quidquam realitatis. Consentiant omnes, relationem transcendentalem nihil naturae superaddere.

<sup>1)</sup> S. Thom. De potent. qu. 7, a. 8.

2<sup>o</sup> Aristotelici Arabes statuebant distinctionem realem maiorem; nonnulli scholastici modalem; Scotistae formalem; Nominalistae et veteres et recentiores ne rationis quidem admittunt. Duce Suarezio plerique mediam viam ingressi statuunt distinctionem virtualementem perfectam, non vero realem, quam sententiam nostram facimus.)

I. *Relatio praedicamentalis a fundamento realiter non differt.*

*Prob. 1. Ex natura fundamenti:* Relatio a fundamento non realiter distinguitur, si fundamentum totam in se relationis realitatem continet. *Atqui* ita est; nam ostendimus, terminum non ingredi formaliter et intrinsecus in relationem. Ergo . . .

(2. *Ex hominum consensu:* Positis duobus albis nemo est, qui putet, adhuc quidquam requiri reale, sive modum physicum, ut relatio similitudinis oriatur, sed eo ipso oriri omnibus persuasum est. Item patet, relationem terrae ad solem quovis momento non mutari propter realitatem aliquam accedentem vel recedentem, sed propter solam termini, i. e. terrae mutationem. Quodsi realis distinctio statueretur, innumerabiles paene realitates ad omnes res omni momento accedere vel ab ipsis recedere deberent, quum nulla res sit sine multis relationibus ad alias res, immo ad omnes res existentes.<sup>1)</sup>)

3. *Ex defectu causae:* Non potest causa sufficiens assignari ad realitatem illam vel modum physicum producendum; nam fundamentum saepe idem manet; terminus saepe longissime distat, neque apparet, quomodo sola termini mutatio etiam subiectum immutat.

4. *Ex paritate:* Relatio transcendentalis non realiter differt a fundamento; ergo neque praedicamentalis; nam congruunt in ratione *formali* relationis; differunt solum propter fundamentum.)

II. *Relatio praedicamentalis a fundamento ratione differt.*

*Prob. 1. Ex conceptu absoluti et relativi:* Ratione perfecte illa distinguuntur, quae a parte rei quidem idem sunt, sed conceptibus formaliter perfecte distinctis exhibentur, ita ut unum etiam sine altero esse possit. *Atqui* conceptus fundamenti est conceptus rei absolutae sc. accidentis realis, e. g. quantitatis; conceptus autem relationis est conceptus alicuius relativi, et potest esse quantitas sine relatione aequalitatis vel inaequalitatis; aliud est enim dicere: Petrus est magnus, aliud: Petrus est aequè magnus, vel maior vel minor quam Paulus. Ergo est distinctio perfecta rationis inter relationem eiusque fundamentum.

<sup>1)</sup> Cfr. Schiffini, Princip. philos. p. 587.

(2. *Ex absurda sententia Nominalistarum*: Si nulla distinctio ne rationis quidem esset inter relationem eiusque fundamentum, relatio esset vel mera denominatio extrinseca, vel merum aggregatum ex subiecto et termino. *Atqui* utrumque absurdum est; nam paternitas in patre non est extrinseca denominatio, sed realiter in ipso est per generationem; neque est merum aggregatum inter duos homines; secus paternitas a filiatione non distingueretur, et uterque eodem iure tum pater, tum filius vocari posset. *Ergo* est certe distinctio aliqua inter relationem et fundamentum; non autem est realis; *ergo* saltem est rationis cum fundamento perfecto in re.

*Obi*. 1. Relatio realiter differt a fundamento; nam potest cessare manente fundamento; dist.: propter defectum realitatis formalis relationis — nego; propter defectum termini — subd.: et hoc probat terminum esse distinctum a fundamento et necessarium esse ad relationem — conc.; probat, eam intrinsecus constituere aut aliquid realitatis addere ad fundamentum — nego.

2. *Atqui* tunc fundamentum esset causa sui ipsius; dist.: ut accidens reale sive ut „esse in“ — nego; ut relatio sive „esse ad“ — conc.; sed nego suppositum; nam relatio non est realitas distincta a realitate fundamenti.

3. *Atqui* relatio est realitas aliqua, quia producit et perficit subiectum suum; dist.: producit eius fundamentum vel terminus realis — conc.; ipsa relatio, subd.: formaliter et per se, nego; per accidens — conc.<sup>1)</sup>

4. Personae divinae sunt certe reales. *Atqui* constituuntur relationibus. *Ergo* relationes in Deo sunt aliqua realitas (Guilbertus Porretanus); dist.: relationes in Deo sunt reales et *inter se* distinctae realiter — conc.; sunt distinctae a suo fundamento, i. e. a divina essentia — nego.<sup>2)</sup>

*Thesis XXXIV*: *Existunt relationes reales tum praedicamentales, tum transcendentales.*

(*St. qu.* Duplex error in hac quaestione refutandus est: a) Alii enim nihil absoluti admittunt, sed omnia in rerum natura esse relativa et in continua esse transformatione sive ideali sive reali, ut antiquitus iam Heraclitus, Protagoras et Empedocles statuunt, nostris autem temporibus sic dicti relativistae et evolutionistae, sive sint Pantheistae subiectivi (Fichte, Hegel, Schopenhauer), sive obiectivi (Schelling, E. v. Hartmann, Spinoza, Paulsen), sive Darwinistae, Spencer<sup>3)</sup>, continuam rerum docentes transformationem necnon Positivistae ut Comte, Littré etc.<sup>4)</sup> b) Alii e contra omnia in rerum natura absoluta esse putant, neque relationes reales sive transcendentales sive praedicamentales esse admittendas, sed ad summum externas, ut veteres atomistae: Democritus, Leucippus, Epicurus, Lucretius et moderni materialistae, qui atomos casu concurrentes

<sup>1)</sup> Vide alias vel similes difficultates apud de Maria, II, 602; Remer, I, 324. Villafranca, II, 150. <sup>2)</sup> Cfr. s. Thom. I, qu. 28, a. 2. <sup>3)</sup> Cfr. Boedder, Psychol., p. 147. <sup>4)</sup> Cfr. Fischer, Triumph d. christl. Phil. 1900, p. 104 sq.

statuunt. Porro Nominalistae, qui fundamentum conceptuum in rebus negantes (Occam), saltem relationes transcendentales consequenter admittere non poterant; et veteres stoici et arabici philosophi: Averroes, Avicenna, qui necessitatem absolutam statuentes, relationes praedicamentales negare debebant; denique Locke, Hume, Kant, res ut in se sunt cognosci posse desperantes, per consequens saltem cognitionem certam relationum in dubium vocare cogebantur.)

### I. *Existunt relationes reales transcendentales.*

Relatio realis transcendentalis est ea, quae fundatur in rerum natura, ac proinde primo et per se rem aliquam absolutam designat, secundo autem aliquem respectum rei ad aliud includit, quin tamen terminus relationis per se semper existere debeat. *Atqui* tales relationes reales transcendentales pleraeque sunt; immo nulla res existit, quae non habeat eiusmodi aliquam relationem. *Ergo* existunt relationes reales transcendentales. — Maior patet; est enim definitio relationis transcendentalis.

*Prob. minorem*: Existunt relationes reales transcendentales.

#### A. *In Deo*.<sup>1)</sup>

*Prob. 1. Quasi ad extra quoad possibile*: a) Divina essentia est infinitis modis imitabilis ad extra. *Atqui* haec imitabilitas est perfectio simplex et resultat non ex defectu, sed ex abundantia divinae perfectionis infinitae, ac proinde necessario consequitur divinam essentiam. Neque realiter ab ea distinguitur, sed est eius respectus ad res finitas, in quantum sunt possibile. *Ergo* est relatio realis transcendentalis in divina essentia quoad possibile; est enim eorum *causa exemplaris fundamentalis*.

b) Simili modo ostenditur, esse relationem transcendentalem in Dei *intellectu* et *voluntate* quoad possibile.

Divinus enim intellectus videns divinam essentiam, necessario apprehendit eius infinitam imitabilitatem, simulque possibile formaliter constituit in ordine ideali tanquam exemplaria formalia rerum; voluntas autem divina hanc divinae essentiae infinitam imitabilitatem ac proinde etiam possibile necessario amore complacentiae amplectitur. *Atqui* haec possibile cognitio et amor non sunt mera denominatio extrinseca in Deo, sicut rerum *existentium creaturarum* cognitio et amor, sed sunt ei intrinseca et necessaria. *Ergo* est relatio realis transcendentalis inter divinum intellectum eiusque voluntatem et possibile; intellectus enim est causa eorum *exemplaris formalis*, utique extrinseca, voluntas autem causa *virtualis*. (Cfr. supra p. 429 sq.)

<sup>1)</sup> Cfr. S. Thom. de potentia, quaest. VII — IX.